

T36

De bello civili III, 93-95

La battaglia di Farsalo

93 (1) Sed nostri milites dato signo cum infestis pilis procucurrisserunt atque animum advertissent non concurri a Pompeianis, usu periti ac superioribus pugnis exercitati sua sponte cursum represserunt et ad medium fere spatum constiterunt, ne consumptis viribus appropinquarent, parvoque intermisso temporis spatio ac rursus renovato cursu pila miserunt celeriterque, ut erat praeceptum a Caesare, gladios strinxerunt. **(2)** Neque vero Pompeiani huic rei defuerunt. Nam et tela missa exceperunt et impetum legionum tulerunt et ordines conservaverunt pilisque missis ad gladios redierunt. **(3)** Eodem tempore equites ab sinistro Pompei cornu, ut erat imperatum, universi procucurrerunt, omnisque multitudo sagittariorum se profudit. **(4)** Quorum impetum noster equitatus non tulit, sed paulum loco motus cessit, equitesque Pompei hoc acrius instare et se turmatim explicare aciemque nostram a latere aperto circumire coeperunt. **(5)** Quod ubi Caesar animadvertisit, quartae aciei, quam instituerat sex cohortium, dedit signum. **(6)** Illae celeriter procucurrerunt infestisque signis tanta vi in Pompei equites impetum fecerunt, ut eorum nemo consideret, omnesque conversi non solum loco excederent, sed protinus incitati fuga montes altissimos peterent. **(7)** Quibus submotis omnes sagittarii fundatoresque destituti inermes sine praesidio interfici sunt. **(8)** Eodem impetu cohortes sinistrum cornu pugnantibus etiamtum ac resistantibus in acie Pompeianis circumierunt eosque a tergo sunt adorti.

94 (1) Eodem tempore tertiam aciem Caesar, quae quieta fuerat et se ad id tempus loco tenuerat, procurrere iussit. **(2)** Ita cum recentes atque integri defessis successissent, alii autem a tergo adorirentur, sustinere Pompeiani non potuerunt, atque universi terga verterunt. **(3)** Neque vero Caesarem fefellit, quin ab iis cohortibus, quae contra equitatum in quarta acie collocatae essent, initium victoriae oriaretur, ut ipse in cohortandis militibus pronuntiaverat. **(4)** Ab his enim primum equitatus est pulsus, ab isdem factae caedes sagittariorum ac funditorum, ab isdem acies Pompeiana a sinistra parte circumita atque initium fugae factum. **(5)** Sed Pompeius, ut equitatum suum pulsum vidiit atque eam partem, cui maxime confidebat, perterritam animadvertisit, *<sb>* aliisque diffisus acie excessit protinusque se in castra equo contulit et iis centurionibus, quos in statione ad praetoriam portam posuerat, clare, ut milites exaudirent, “Tuemini”, inquit, “castra et defendite diligenter, si quid durius acciderit. Ego reliquas portas circumeo et castrorum praesidia confirmo”. **(6)** Haec cum dixisset, se in praetorium contulit summae rei diffidens et tamen eventum exspectans.

95 (1) Caesar Pompeianis ex fuga intra vallum compulsis nullum spatum perterritis dari oportere existimans milites cohortatus est, ut beneficio fortunae uterentur castraque oppugnarent. **(2)** Qui, etsi magno aestu fatigati (nam ad meridiem res erat perducta), tamen ad omnem laborem animo parati imperio paruerunt. **(3)** Castra a cohortibus, quae ibi praesidio erant relictae, industrie defendebantur, multo etiam acrius a Thracibus barbarisque auxiliis. **(4)** Nam qui acie refugerant milites, et animo perterriti et lassitudine confecti, missis plerique armis signisque militaribus, magis de reliqua fuga quam de castrorum defensione cogitabant. **(5)** Neque vero diutius, qui in vallo constiterant, multitudinem telorum

sustinere potuerunt, sed confecti vulneribus locum reliquerunt, protinusque omnes ducibus usi centurionibus tribunisque militum in altissimos montes, qui ad castra pertinebant, configerunt.